



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**


Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

Prooemivm. Avctoris In Exercitivm De Præsentia Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

AVCTORIS IN EXERCITIVM DE PRÆSENTIA Dei.

 VEM ADMODUM Dominus aliquis accuratam omnium facultatū suarum rationem subducturus, primum eas in varias partes, aestimato, conscriptoq; singularum pretio, dividit, deinde vero omnes simul collectas ad unam summam reuocat: Sic nos, cum hætenus aliquot distinctis tractatibus, multa variaq; ad progressum in vita spirituali faciendum media atq; exercitia copiosè prescripserimus, cogitamus ea omnia hoc libello, ad unum aliquod exercitium velut omnium caput, summam & compendium contrahere. Hoc autem exercitium in eo uno vertitur, ut in omnibus studiis, actio-

actionibus & negotiis nostris Deum
 O. M. quasi oculis mentis presentem,
 nostraq; omnia etiam cogitata intu-
 entem & spectantem cernamus, ac to-
 to cordis affectu in eundem feramur.
 Nam cum in hac vita mortali nobis
 copia non sit, & potestas clarè, atq; à
 facie ad faciem videndi Deum, quod
 proprium est beatorum cum Christo
 regnantium, id saltè conniti debemus,
 ut oculis diuinae fidei, sanctaq; cōtem-
 plationis eum quasi presentem, cum
 reuera, licet inuisibiliter, præsens sit,
 aspiciamus, ac quoties licet, sincero
 eum amore complectamur. Egimus
 quidè de hoc sancto Exercitio in Tra-
 ctatu de oratione, cum exponeremus,
 quid sit presentem sibi sistere Deum,
 quamq; præstans & efficax hoc sit me-
 dium ad colligendum animum, diui-
 narumq;

Tract. 5.
 p. 1. c. 3.

narumque rerum Meditationem
cum fructu instituendum: verum in
hoc opusculo paulo accuratius fusi-
usq; de eodem argumento agemus,
quatenus valet ad eximiū profectum
in omni virtutum genere faciendum,
donec ad earum fastigium, hoc est,
perfectam & omnibus numeris ab-
solutam cum Deo unionem perue-
niatur.

Quam nobile & salutare exercitium sit,
Deum in actionibus suis presen-
tem sistere.

C A P. I.

PERMULTA quidem præstantissima, iu-
xta ac utilissima suppetunt media & ex-
ercitia ad perfectas virtutes consequendas,
nullum tamen meo iudicio præstantius v-
tiliusue est hoc ipso de quo agimus, si quē-
admodum convenit instituat. Quicquid
enim boni aliis inest, in hoc vno quadan-
tenus continetur: quicquid cæterorum be-
N n nefici